Dissertatio medica inauguralis de phrenitide ... / sub praesidio ... Johannis Theodori Schenckii ... subjicit Johannes Jeremias Ruttörffer ... Anno M. DC. LXVI.

Contributors

Schenck, Johann Theodor, 1619-1671.
Ruttörffer, Johann Jeremias, active 1665-1666.
Universität Jena.

Publication/Creation

[Jenae] : Literis Sengenwaldianis, [1666]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/zyybp4xh

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

11

Q. B. V. O.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PHRENITIDE,

Quam

Consensu & autoritate Illustris ac Gratiosissimæ Facultatis Medicæ in alma hac Salana,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXCELLENTISSIMI ATQUE EXPERIENTISSIMI

DN. JOHANNIS THEODORI SCHENCKII, MEDICINÆ DOCTORIS & Theoretices Professoris Publici celeberrimi, Dn. Præceptoris, Patroni ac Promotoris æternum venerandi,

PRO SVMMIS IN ARTE MEDICA HONORIBVS PRIVILEGIISQVE DOCTORALIBVS IMPETRANDIS

Publicæ ventilationi subjicit

JOHANNES JEREMIAS RUTTÖRFFER, MOENOFRANCOFURTANUS

Ad diem Februarii Anno M. DC. LXVI.

Horis locoquè consvetis.

Literis SENGENVVALDIANIS.

ILLUSTRI, MAGNIFICO, PRÆSTRENUO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO, PRUDENTISSIMO

SENATORIO ORDINI

INCLUTÆ REIPUBLICÆ FRANCOFURTENSIS AD MOENUM IMPERIALIS LIBERÆ

DNN. PRÆTORI

CONSULIBUS SCABINIS AC SENATORIBUS

PATRIÆ PATRIBUS VENERANDIS

Dominis Mecœnatibus, Patronis ac Evergetis suis devotissimo honoris cultu prosequendis

Disputationem hanc inauguralem

debita submissione offert

JOH. JEREMIAS RUTTÖRFFER, MOENOFRANCOFURTANUS.

Præloquium.

TOt & tantis morbis affligitur homo, ut vel numerum numerare, vel quantitatem exprimere vix ac ne vix quidem quisquam mortalium certò ſibi promittere poterit: nulla corporis partis particula ſuis non ſubjecta eſt adverſitatibus: non cor, vitæ fons; non caput, animæ immortalis ſedes; non alia quæcunq; pars hic exemta eſt, quæque ſuas patitur manes.

Sed nec corpus corruptibile mille modis affligi ſatis erat, anima ipſa, utut in ſe incorruptibilis, intacta non erat relinquenda, cujus afflictiones tantò graviores ac acerbiores experitur homo præ corporis afflictionibus, quantò ipsa corpore præſtantior eſt.

Deliria inter eas non imum obtinent locum, è quorum catalogo jam *Phrenitidem*, affectum ſatis atrocem ac terribilem, in ſcenam producimus, methodum cognoſcendi & curandi ejus propoſituri, quod ut præſtare posſimus, Divinum imploramus auxilium.

CAPUT I.

Definitionem nominalem exhibet.

ANtequam rem ipsam aggrediamur, *nominis* prius habenda ratio, quod communiter tribus membris fieri solet, nempe

I. ETYMOLOGIA, quæ derivationem nominis exponit, Phrenitis proinde vox est origine Græca, latinitate tamẽ donata, descendens à substantivo Φρὴν, mens, quo nomine *Hipp. 1. de offic. Medic.* alteram illam facultatem animæ, contradistinctam sentienti exprimit, unde ipsa originatione mentis affectionem denotat, & phrenitici qui dicuntur, iis mens laborat, eadem ratione, qua pleuritis & pleuritici, nephritis & nephritici à pleura & renibus affectis denominantur.

II. SYNONYMIA. Tenore cujus sciendum; Latinis præterea, quamvis barbaro nomine, *phrenesin* dici, quemadmodum etiam Græcè Φρενῖτις & Φρένεσις dicitur: Avicennas Persico idiomate Sirsen calidum, ad distinctionem frigidi, quo nomine lethargus venit, vocat. Germani vocant Unsinnigkeit / Tobsucht / Hirntoben / Wüten. it. das rasende Hirnfieber. Gallicè phrenesie: Italicè phrenesia audit.

III. HOMONYMIA, quâ diversæ nominis acceptiones comprehenduntur. Sumitur igitur vox phrenitis quandoque *latissimè* pro quacunq; mentis alienatione, etiam à causis frigidis, ut lethargo & typhomania, uti docet *Petr. à Castro aph. epidem. cent. 7. aph. 81.* Quandoque *latè* pro delirio, quod calidæ quidem causæ originem suam debet, nondum tamen cerebro essentiale factum est, sed in fieri aliunde fovetur & dependet, ut à *toto* in febrium ardentium paroxysmis, cum quibus delirium phreniticum oritur & desinit; vel à *diaphragmate* inflammato, à quo vapores nocivi

ad

ad caput mittuntur, qui mentem turbant, iis verò subsistentibus etiam definit delirium. A quibusdam tamen duo hæc deliriorum genera peculiaribus nominibus insigniuntur, & alterum paraphrenitis, alterum pseudophrenitis appellatur. Vid. *Lud. Mercatus de intern morb. car. lib. 1. cap. 11.*

Proinde ut plurimum *propriè* denotat delirium, quod cerebro per essentiam laborante affligit; quod licet quandoque primò per consensum obortum sit, ita tamen cerebro jam essentiale factum est, ut etiam priori affectu soluto ipsum adhuc persistere possit. Et hoc sensu non omne delirium, etiam cum febre, phrenitis dicendum est, sed quod est ab inflammatione cerebri, ut infra patebit.

CAPUT II.

Tradit definitionem realem.

NOminalibus hisce præmissis, ut res ipsa methodicè tractetur, definitio realis subjungenda; quam ut etymologiæ etiam ratio habeatur, talem formabimus.

Phrenitis est delirium perpetuum cum febre ardente continua ac vigiliis contumacibus à calore præternaturali spiritus animalis cerebro insito originem ducens.

GENVS definitionis hujus constituimus *delirium*. Ubi in antecessum statim monendum, quod non rarò ab Autoribus per inflammationem cerebri vel membranarum ejus definiri phrenitis soleat, quæ tamen definitiones nobis nequaquam adversentur.

Dicimus enim cum *Senn. 1. prax. part. 2. cap. 7.* affectionem hanc dupliciter considerari ut & definiri posse, vel ut morbus, inflammatio scilicet cerebri, vel ut symptoma seu depravata actio facultatum principum, nos posteriori hac ratione ejus tractationem suscepimus, indeque forma-

lem construximus definitionem, cui causalis non repugnat, siquidem & nos pro causa proxima agnoscamus inflammationem cerebri, ut infra patebit. Sed ad nostrum Genus convertenda oratio.

Tria communi Doctorum consensu sunt rerum p.n. genera: Morbus, causa morbi, & symptoma: Mentis affectiones ad quod pertineant, si quæratur; ad tertium respondemus: Non enim morbus est, quia mens non est pars corporis organici, sed facultas animæ; nec causa morbifica est, uti manifestum, nec quisquam in dubium vocabit; Manet igitur quod sit *symptoma*: Quicquid enim præter naturam se habet exceptis morbis ac causis morbificis, symptoma vocari docet *Gal. de sympt. diff. cap 2.*

Symptomata deinde in triplici sunt differentia: Læsæ nimir. actiones, excreta & retenta, ac qualitates mutatæ. Actiones verò quæ naturaliter in homine fiunt, etiã triplicis sunt generis: Naturales nempe, vitales & animales. Mentis læsiones ad *læsarum actionum* & quidem *animalium* symptomata pertinent, mens enim vel ratio est actio facultatis animalis.

Tandem facultates animales dividuntur in cognoscitivas & motivas, vel distinctius in sensitivas, motivas & principes: Sub sensitivis comprehenduntur sensus externi, sub principibus, sensus interni & ratiocinatrix potentia. Hinc patet phrenitidem in genere rerum p.n. esse symptoma in actionibus animalibus *principibus*: Afficiuntur enim sensus interni, communis sensus, phantasia & quandoque memoria, afficitur etiam ipsa ratio.

Læsarum actionum tres etiam statuuntur differentiæ: Abolitarum, diminutarum, ad quas, vi contrariorum juxta Argenterium aliosque auctæ pertinent; & depravatarum.

Depra-

Depravari in hoc affectu actiones principes facultatis ἡγεμονικῆς *rectricis*; *Gal. 2. de caus. sympt. cap. 7*: patet, quia ægri aberrant in judicandis rebus, nec verum à falso, bonum à malo, turpe ab honesto, congruum ab absurdo & quod nec loco nec tempori congruit, distingvere valent, ut verba habent *Sennerti*.

Valet tamen hoc tantum de imaginatione & ratiocinatione; memoria verò quæ sæpe etiam læditur, non depravatur, sed vel imminuitur, vel plane abolетur, sensus communis actio ob vigilias aucta dici potest.

Quapropter concludimus cũ *Magnif.* ROLFINCIO *Meth. cogn. & cur. aff. partic. corp. lib. 1. part. 1. c. 3*: Depravatur imaginatio & ratiocinatio, memoria etiam læditur inminutè, & ablatè, nunquam depravatè.

Atque hic tandem ratio patet, cur CONCEPTUM GENERICUM constituerimus DELIRIUM. Nã ut docet *Senn. 1 prax. part. 2. cap. 6. phantasiæ ac ratiocinationis depravatio quæcunque Græcis in genere παραφροσύνη, Latinis delirium & desipientiæ appellatur*: Et paulo post: *Etsi verò magna sit deliriorum varietas, tamen in genere in depravatione functionum principum phantasiæ & ratiocinationis conveniunt, quando scilicet phantasmata seu imagines, nec quæ debent, nec ut debent, offeruntur, nec ut par est conjunguntur, sed phantasmata à consvetudine & ratione aliena objiciuntur ac inordinatè ac confusè moventur, ac diversorum objectorum simulacra simul offeruntur & inepte conjunguntur: Unde absurda & loqvuntur & agunt.*

Rationi suffragantur autoritates Clarissimorum Virorum, *Phrenitis est insania vel mentis diminutio cum acuta febre*, inquit *Autor definit. Medic. Et Gal. 1. prorreth. sect. 1. comm. 1. Phrenitis est dementia continua cum acuta febre.* Plures adducere quid juvat. Vide sis *Sennertum joëlem Magnif. Rolfincium* aliosque.

Scien-

Sciendum autem, licet in phrenitide semper & ratiocinatio & imaginatio lædantur, quandoque tamen læsionem illam magis in imaginatione quam ratiocinatione, quandoque magis in hac quam in illa cerni, uti. *Gal. de sympt. diff. cap. 3.* binis adductis exemplis testatur. Et tantum de conceptu definitionis generico.

CONCEPTŪ DIFFERENTALEM desumsimus ab iis quæ ad propriè dictam phrenitidem necessariò requiruntur, nempe *1. ab ipsius delirii duratione* : Continuum enim hic est delirium, hoc est toto morbi decursu delirant ægroti, nec ad mentem revertuntur, priusquam integre solvatur affectus: testantur hoc *Gal. 5. loc. aff. cap. 4. 1 prorreth. com. 1. text. 1. Celsus lib 3 de re Medica cap. 18.* dicens : *phrenitis verò tum demum fit cum continua dementia esse incipit.* Non repugnat tamen suas habere exacerbationes & remissiones. Quod concludere licet ex *Holl 1. de morb. intern. 6.* dum de V. S. dicit observandum tempus esse, quo minus furere videatur æger: accessiones hæ sunt ut plurimum de tertio in tertium. *2. ab affectibus comitantibus*; qui sunt febris ardens continua, & vigiliæ contumacissimæ. De priori *Gal. lib. 3. epidem. sect. 3. comm. 46. & lib. 1. prorreth. comm. 1. text. 1.* ubi Gal. ait. Φρενεῦζειν δὲ ἐν πυρετῷ τῷ διηνεκεῖ δὲ τῆς παραφροσύνης ὅτ' αἷμα πυρετῷ γένηται τὴν φρενῖτιν γνωρίζομεν. *Desipere vero cum febre & continuitate delirii phrenitidem appellamus.* De posterioribus tum alibi tum *5. de loc. aff. cap. 4.* 3. *à causa immediata seu continente*, quam diximus esse calorem p. n. spiritus animalis cerebro insiti. De quibus omnibus infrà.

CAPUT III.

De subjecto agit.

EX læsis actionibus in partis affectæ cognitionem pervenire haud difficile; indicant enim actiones læsæ illam partem affectam esse, in qua naturaliter fieri debent.

Cere-

Cerebrum itaque inter partes corporis solidas ut μόριον ὁμοιομερὲς καὶ ἀνομοιομερὲς primarium phrenitidis subjectum est, & quidem (quatenus per delirium definitur) secundum eam constitutionem, secundum quam proximum principum facultatum organum est. Hæc à *Gal. 3. de loc. aff.* similaris dicitur, docet enim ibi læsionem, quæ accidit cerebro ut instrumentum est, pertinere ad corpus, quia ob eam læduntur sensus externi & motus primariò & evidentius: eam verò quæ ad ipsum pertinet, ut simplex pars est, pertinere ad animam, h.e. ad interiores animi potentias.

Substantia hæc spectanda non modò quâ medullaris, sed etiam quâ calido insito, spiritu insuper animali gaudet, atq; sangvine perfusa est vitali, per hæc etenim apta nata est, & disposita actiones suas exercere, imaginatur, ratiocinatur, recordatur, sentit & movet.

Cum ad inflammationem respicitur, ratione tumoris κατὰ τὴν ἐν αὐτῷ μήνιγγα principaliter afficitur, præcipuè tamen tenui, medullam cerebri penitiq; investiente in vasaq; ipsi impertiente, unde ipsi postmodùm communicatur inflammatio.

Confirmat hanc sententiam *Zacutus Lusit. l. 1. prax. histor. 4. Si phrenitidis nomine*, inquit, *deliriũ intelligas, perpetuo cerebrũ solumq; infestat, quia symptoma est in actione læsæ principis facultatis in cerebro residentis: Si morbum ad quem sequitur, non oportet necessario cerebrum primariò aut perpetuò obsidere.*

Ut quis deliret, *an necesse sit, universum cerebrum æqualiter affici*, si quæritur, respondetur: Cum non solũ facultates in cerebro sedibus non distingvantur, sed spiritus animales totum cerebrum permeent, motus quoque sangvinis perpetuus sit, vix poterit fieri, ut unâ inflammatâ,

partes reliquæ non alterentur,& ſucceſſivo tempore quoq; accendantur.

Paucis adhuc tangendus *Carteſius*: Peculiarem enim hic & quidam alii cum illo fovent ſententiam,docentes, in glandula illa, quæ in cerebro ad ortum canalis illius, qui à medio ventriculo in nobilem penetrat, poſita eſt, & à figura externa pinealis dicitur, cauſam mali ſtabulari, fieriq; delirium ab idearum in glandula illa ,quam Græco nomine κωνάριον vocant, motu nimio, violento & confuſo: Verùm,utut in eo,quod idearum iſtarum,quas ſibi fingunt, motum, ex motu ſpirituum animalium dependere doceant, nobis non contradicunt; quia tamen motum iſtum ita ſimpliciter ad glandulā iſtam reſtringere laborant,in eo illis penitùs aſſentiri non poſſumus,præprimis cum nondū probatum ſufficienter ſit,uſum iſtius glandulæ eſſe,ut in ea tanquam in centro anima omnes ſenſuum externorum ſpecies recipiat,dijudicet & ex iis ideas formet. *Vid. Thom. Barthol.anat. reform.lib.3. cap. 6.*

CAPUT IV.

De cauſa continente ſeu immediata.

CAuſam *continentem* phrenitidis in definitione cum *Magnif Rolfincio* poſuimus calorem p n. ſpiritus animalis cerebro inſiti,permoti hac ratione: Læditur facultas inſtrumento ejus proximo læſo; at inſtrumentum facultatum principum proximum eſt ſpiritus animalis cerebro inſitus: E. cauſa læſarum facultatum principum, & conſeq. phrenitidis eſt vitium ſpiritus animalis cerebro inſiti.

Vitium

Vitium hoc per calorem p. n. vel accensionem exprimitur, quæ excessiva est eorum incalescentia, cerebri membranarumque inflammationem includens.

Licet autem nonnulli sint, qui & hic occultum aliquid velint, malumus tamen omne hoc sub accensione ista & incalescentia excessiva comprehendi, maximè quod non minus peccetur in causis manifestis demonstrandis, quam occultis eliminandis, satius fore arbitrantes, cùm essentiales rerum formas ignoremus, physicorum more accidentibus propriis eas circumscripsisse.

Sumitur autem vox inflammationis non pro φλογώσει simpliciter, non pro sola suppuratione seu apostemate, sed pro tumore calido à sangvine præprimis bilioso, interdum & pituitoso exorto; ut ita tanquam genus, binas illas species à *Gal. l. c.* traditas, humidam puta & siccam, sub se comprehendat. Nemo enim sibi imaginetur semper apostema aliquod in cerebro requiri, sed sufficit illud tumore calido à sanguine bilioso influente orto teneri, nec tam putredinoso, quam erysipelatode, adeo ut mirum non sit tum *Volcherum Coiterum*, tum *VValæum aliosque* in demortuis istis & à se apertis nulla apostematis vestigia observasse. Quanquam autem *Zac. Lusit. 1. prax. histor. 4.* & *Lud. Mercatus 1. de intern. morb. cur. 11.* ad strictam acceptionem videantur restringere vocabulum inflammationis, loqvuntur tamen illi de phrenitide exquisitissima: Ita enim *Mercatus* ait: *Asserendum est phrenitidem omnem, cerebri inflammationem (in qua tria morborum genera necessariò reperiuntur, nimirum p. n. tumor, qui partis vitiet figuram, & calida intemperies ob humorum succensionem aut putredinem, & ultimo soluta unitas) revera non esse, nam si quis rem hanc*

diligentius pensitet, reperiet procul dubio, non semper hæc omnia in phrenitide adesse.

Undè ex decretis Galeni, Pauli & Aetii subnectit: *nomine inflammationis hac in parte tria esse intelligenda, omnia quidem phrenitidem & phreniticum etiam deliramentum inducentia 1. irrigationem cerebri à bilioso humore, nondum tamen communicata qualitate toti cerebro 2. effervescentiam & successionem aut transitum humorum, qui sunt in venis membranarum cerebri ante integram inflammationis constitutionem 3. quam veram arbitratur esse inflammationem, quæ in spatiis & porositatibus cerebri fit, ubi ad eas ex venis excurrit humor, tumoremque efficit p. n. atq; abscessum:* & illam phrenitidis speciem ab inflammatione ultimæ hujus acceptionis inductam, exquisitiorem judicat, eamque ab *Hipp. 7. aph. 50.* nomine sphaceli expressam esse putat.

CAPUT V.

De causis antecedentibus seu mediatis proximioribus.

CAusæ phrenitidis *antecedentes* seu *mediatæ proximiores* sunt humores corrupti, idque non solum in *qualitatibus* primis, sed etiam *secundis*, & *substantiæ modo.* Ut enim à varia principiorum ac materiæ dispositione salutari, multæ nobiles in corpore proveniunt actiones, quas *Fernelius*, *Scaliger* aliiquè occultis & supraelementaribus qualitatibus adscribunt; ita à transpositione eorum vitiosa & nociva variæ & non rarò terribiles actionum harum læsiones causari possunt.

Etsi vero plerumque sangvis biliosus dominatum suum

ſuum præ reliquis exerceat, videtur tamen & ſangvinem ferventem, cujus fit mentio à *Gal. 2. de loc. aff. 9. & 3. Epid. ſ. 3. t. 45.* quin & alios quoque humores excludi non poſſe, & ita pro admiſtione & corruptione talium ſuccorum phrenitidem modo exquiſitiſſimam, modo exquiſitam, puram, permixtam ſuboriri. Exquiſitiſſima eſt à bile, ut loquitur ille ac ſcribit. *1. prorrhet. 2.* Permixtæ exempla colligi poterunt ex *Hipp. 3. Epiſt.* in uxore Dealcis.

Hinc communiter hæ diſpoſitiones cacochymiæ biliosæ nomine veniunt, eaque quandoque pura, quandoq; notha dicitur, prout bilioſus humor nunc purus eſt, nunc cum ſangvine, pituita, vel melancholia conjunctus. Ipſa etiam bilis quandoque flava, nonnunquam pallida, aliàs exuſta & atra hic peccare dicitur.

Hoc confirmant obſervationes tum aliorum, tum *P. Foreſti l. 10. obſ. 4.* ubi phrenitidem deſcribit ex bile flava immoderatius excalefacta, & plus æquo aduſta: *Et obſ. 6.* aliam ex ſangvine, cui bilis in minori copia admixta erat.

Refertur etiam huc *bilis flava* excrementitia, à ſangvine non ſeparata.

Serum etiam tincturâ eadem impræg̃natum ac corruptum. Ab his elevati *vapores* calidi in intermedia ſpatia meningum effuſi, prohibita tranſpiratione accenſi igneam cerebro communicant qualitatem. Adiſis *Platerum*.

Humores hi non æqualiter excedunt, ſed καθὸ μᾶλλον καὶ ἧττον.

Quandoque *malignis qualitatibus* imbuti deprehenduntur, quod confirmatur exemplo ægroti. *3. Epidem. com. 1 t. 75.* item in peſte & febribus peſtilentibus quandoque apparet.

Interdum ob *motum eorundem* excedentem vel deficientem, quæ ſententia eſt *Harveaneorum* & *Carteſianorum*,

rum, multumquè ad vehementiam delirii & morbi acutiem facit.

Si *acidior* justò *sangvis* à lixiviali sale bilis excrementitiæ agitatur, *fermentatio* p.n. suboritur, calor augetur, sangvis vehementer agitatur, vapores spiritus animales irritant coinquinantquè.

Chimici humorū acredines subꝑrio suo sublimato recondunt, adisis *Illustrem Rolfincium l. c.*

Frustrà delirat *Helmontius*, cum bilem non rapi ad cerebrum sed in hypochondriis et fine ilei retentam, affectū hunc producere perhibet. Hoc ipso enim concedit, hanc in genere venoso retentam, restagnantem & cum sangvine adhuc conjunctam phrenesin excitare posse & ita cerebrum per essentiam vel per consensum afficere.

CAPUT VI.

Causas mediatas remotiores exponit.

INter causas antecedentes mediatas remotiores præcipuum locum tenet TEMPERAMENTUM, quibus à natura calidum & siccum datum est, hi enim præ aliis fomitem mali alunt. Quamvis enim, ut antea dictum, affectus hic non dependeat per se ab intemperie calida & sicca: hæc tamen humorum & corporis constitutio præ aliis aptior est ad suscipiendam illam impressionem, cujus vi, accedente aliqua causa procatarctica, facillimè phrenitis in actum deduci potest. Ea de causa juvenes & viri crebrius phrenesi laborant.

Reliquæ causæ remotiores, quæ vulgò triplici classe, *naturalium, non naturalium, & præternaturalium rerum*, ordinantur,

dinantur, omnes ad phrenitidem disponunt, vel intemperiem calidam & siccam humoribus inducendo, vel substantiæ modum & mistionem eorum corrumpendo vel latentem dispositionem faciendo, vel excitando ac in actum ducendo.

Jnter Res Naturales præter temperamentum excellunt *sexus* & *ætates*.

Ratione Sexus ad phrenitidem magis dispositus est *melior* dictus, qui majori donatus est calore præ sequiori. Notanter autem dicimus, magis dispositum esse, nam nec sequiorem sexum excludimus, dum non solùm inter fœminas reperiantur, quæ viris sunt calidiores, sed insuper sexus hic ob fermentum uterinum multarum occultarum dispositionum, cerebro etiam maxime infestarum, fontem alat? Inprimis verò puerperas affligi constat ex duabus observationibus *Foresti*, nec non *ex Horst. lib. 2. obs. 12.* quod procul dubio accidit ob relictum in massa sanguinea μίασμα malignum ex lochiis retentis. Et quis nescit sæpe sæpiʼ insanire mulieres, maximè quũ τὴν γαςέρα ἔχουσι, quæ viros appetunt, viduas juvenes, viragines petulantiores, & id generis?

Frequentius tamen masculinum *sexum* affligi quotidiana comprobat experientia.

Aetas, quæ præ aliis mali hujus vehementiam experiri cogitur, est consistens seu virilis, ut quæ calidissima & siccissima præ reliquis est.

Comprehendimus autem sub hac ætate non solùm ætatem *virilem* strictè dictam, sed omnẽ eam, quæ est inter adolescentiam & senectutem, adeoque etiam juventutem seu ætatem florentem.

Confirmat hoc *Hipp. 3. aph. 30.* docens: iis qui adolescentiam superarunt phrenitides familiares esse. Sed & adolescentia ipsa in specie dicta quoad ultimos annos eximenda

menda vix erit, virili utpote vicina ſatis. Reliquæ ætates cum vel ad humiditatem vel frigiditatē declinent, plerumque ab inſultibus talibus liberæ erunt.

Res Non Naturales quandoque antecedentis, quandoque procatarcticæ vicem gerunt, & vel calore excedente vel aliena impreſſione ac diſpoſitione armatæ.

Aer, etſi in ſe & ſuâ naturâ nulla qualitate excedente præditus ſit tex accidenti tamen omnes recipere aptus eſt. Ad phrenitidem diſponit *calidus* imprimis, poſtea *ſiccus*; qualis fit *1. ratione ſitus verſus cœli plagas* is, qui magis accedit ad Zonam torridam, & circulo æquinoctiali propior eſt. 2. *ratione naturæ loci*, qui in locis macris & arenoſis, vallibus & ubi montes à tergo jacentes Boream arcent, Auſtrum verò admittunt. *3. ratione ventorum*, qui ab Auſtro perflatur. Quamvis enim Auſter ſua natura humid° ſit, magis tamen ad calidos effectus diſponere videtur quàm Eurus, ut qui magis temperatus eſt. 4. *quo longior eſt diſtantia inter mare & locum datum*, eò major loci ſiccitas eſſe dicitur. *5. ratione temporum anni.* Conſtitutio phrenitica augebitur non ſolum ratione temperiei ſed etiam ratione influxus ſiderei. ☉ perambulante ſigna ignea, ut ſunt ♈ ♌ ♐ nec non ſigna æſtivalia ♋ ♌ ♍ & omnium maximè ♌ ut in quo domicilium ſuum habet, & ſtrictius adhuc *caniculam*, quanta enim hujus conſtellationis antipathia ſit cum ſpiritibus animalibus, canes ſuo exemplo abunde docere poſſunt, ut qui hoc tempore plerumque in rabiem aguntur. Accedunt obſervationes Autorum. Obſervavit enim *Balthaſar Timæus* quendam ſub caniculam nullo præcedente morbo phrenitide correptum fuiſſe *lib. 1. cap. 6. obſerv. Medic.*

II. *Cibus & potus, calidior juſto & ſiccior* ſuum huc confert calculum. Omnes in ſpecie cibos nocivos hic recenſere,

censere, & tædiosum, & præter institutum nostrum esset. Unius VINI GENEROSI mentio facienda. Videtur autem vinum forte non solum primis suis qualitatibus, sed etiam vi sua narcotica nocere cerebro & spiritibus animalibus. Expertus hoc est suo periculo adolescens ille in Thaso *3. epid. s. 1. text. 1*, Nicodemus *eodem lib. sect. 1. text. 81. & 87.* Ut adeo recte de eo loquatur *Schönbornius in manuali suo Med. pract: nihil magis caput replet quàm potens vinum, ob narcoticam enim quam habet vim cerebrum debilitat. Et* (pergit ille) *secundum Montagnanam: Nervis nocet multitudo potus vini & ebrietas dupliciter, aut 1. quia promovet multorum vaporum elevationem ad caput, aut 2. quia vini multitudo ac ebrietas sunt causa debilitandi digestivam virtutem, adeo ut vinum non bene permutetur, unde convertitur in sangvinem acetosum &c.* Annotavit quoque *Horstius l. c.* quendam post aliquot dierum vini generosioris ingurgitationem; & alium quendam studiosum post longam ebrietatem phrenitide gravi correptos fuisse, nullo præcedente alio morbo.

III. VIGILIÆ NIMIÆ cum non solum corpus exiccent, sed etiam spiritus animales absumant, & cerebrum inde debilitent, suum hic addunt calculum. Vidimus nuper Francofurti juvenem mercatorem, cum tempore nundinarum negotiis plurimis immersus admodum parum dormivisset, in mentis debilitatem incidisse, cum alioqui satis sanus esset & prudens, ut solet istiusmodi genus hominum; hic si temperamenti siccioris fuisset, facillime phreniticus evadere potuisset, inprimis si aliæ causæ accessissent.

IV. MOTUS CORPORIS nimius, cum etiam corpus, humidum dissipando exiccet, spiritusque è corpore exturbet, debile relinquit & totum corpus & inprimis vires animales, si præsertim in aëre calido sub radiis solaribus instituatur.

V. EXCREMENTA ex coctionibus tam publicis quàm privatis provenientia, nisi ab humoribus alimentariis secernantur & justo tempore excernantur, mille modis corpus afficere possunt. Inprimis hic nocere videtur *transpiratio insensilis præpedita*, hac enim non solum seri pars halituosior, sed dubio procul etiam bilis & succi pancreatici ea portio quæ cum chylo sangvineæ massæ reddita est, evolare debet. Quod si proinde fiat, ut hæc p. n. retineantur, non possunt non sangvinem corrumpere & ad morbos sibi analogos disponere. *Semen* in viris, *fermentumq; uterinum* in mulieribus ultra debitum tempus retentum & ita corruptum quantum menti noceat, amor insanus & furor uterinus manifestius reddunt, quam ut verborum ambiguitates desideret. Nimius tamen & frequens veneris usus non minus nocet capiti.

VI. ANIMI πάθήματα si ulli actioni, certè actioni mentis officiunt: præ aliis tamen ad phrenitidem disponere videtur *ira*, dum sangvinem in corde effervescere, spiritus & humores turbare, agitare ac incendere valet, unde in toto corpore fervor & febres oriuntur. Quantum verò in specie cerebro & nervis noceat, ex eo manifestum esse potest, quod, qui vehementer irati sunt, non raro in artuum tremores, convulsiones & epilepsiam incidant; quinimò irati, alioquin sani, eo ipso phrenitici videntur, dum veluti furibundi non solum obvios quosque adoriuntur sed nec sibi ipsis parcunt, & tantum non violentas sibi imponunt manus.

Restant inter causas mediatas remotiores adhuc RES PRÆTER NATURALES, sub quorum titulo comprehenduntur *Morbi calidi & sicci, febres*, in primis *ardentes & malignæ, inflammationes viscerum* tanquam partium nobiliorum, *ut & diaphragmatis*.

Ex

Ex peripneumonia phrenitidem fieri quandoq; testis est *Hipp. 5 epid. text. 5. & 104.*

Valida capitis percussio, casus & ictus, quatenus meninges cerebri lædunt indeque inflammationibus occasionem præbent, huc quoque conferunt.

VERMES in quadam corporis parte latentes vapores vitiosos, cerebro & spiritibus animalibus infestos, emittere posse, unde occasionaliter phrenitis fiat, vix quisquam inficiabitur.

DEBILITAS EPATIS & inde orta læsa separatio humoris biliosi & serosi quin ad malum hoc aliquid conferre possit vix dubitandum.

CAPUT VII.

De Differentiis agit.

DIfferentias patitur phrenitis partim ratione *essentiæ*, partim ratione *subjecti*, partim ratione *causarum*.

RATIONE ESSENTIÆ seu formalitatis, suos gradus habet, è remissione ad intensionem adscendens. Hinc quandoque *gravior* est ac *vehementior*, quandoque *mitior*, gravior vel levior est, prout plures facultates afficiuntur, vel prout ratiocinatio magis vel minus afficitur: Ad hanc pertinet quæ ἀσαφὴς vocatur *ab Hippocr. in prorrh.* Vehementior vel mitior est ratione modi delirandi, nam ut *Celsus docet lib. 3. c. 18.* alii sunt hilares, alii tristes: alii facilius continentur, & intra verba desipiunt, alii insurgunt & violenter quædam manu faciunt, ex quibus rursus alii nihil nisi impetu peccant, alii etiam artes adhibent.

RATIONE SUBIECTI dividi potest in ἰδιοπαθικὴν & συμπαθικὴν sive in eam quæ per essentiam est, & quæ per consensum. Etiamsi enim in phrenitide propriè dicta, de qua

 nobis

nobis ſermo eſt, ſemper cerebrum propria affectione laboret; aliquando tamen effervescentia ſpirituum animalium & cerebri inflammatio per ſe & in ipſo cerebro incipiunt, nulla aliunde occaſione ſumtâ; Aliquandò ab alio morbo prima origo mali fluit, ita ut Symptomatica ſit, quo in caſu quidem non ſtatim à principio phrenitis vera eſt, vera autem tandem fit, quando cerebri conſtitutio jam eousque vitiata eſt, & incaleſcentia illa eò progreſſa, ut priori morbo ablato ipſa tamen phrenitis adhuc perduret.

Deinde inflammatio vel potius ſuppuratio quandoque in membranis ſeu meningibus cerebri eſt; quandoque in ipſo parenchymate; quod malum quando altius inſedit & ipſam cerebri ſubſtantiam corrumpere aggreditur *ab Hipp. 7. aph. 50.* ſphacelum dici ſupra ex *Montano* dictum.

RATIONE CAUSÆ 1. inflammatio quandoque eſt *ſicca* quandoque *humida*. Undè phrenitis oritur vel tumultuoſa vel hectica, *Gal. 1. prorrhet. com. 33.* tumultuoſa vel tumultuaria eſt, quando cerebrum ſolùm intemperie calida immateriali, ut ita dicam, perfuſum eſt. *Hectica* dicitur quando laborat intemperie calida vel inflammatione cum materia vel cum abſceſſu ac ſuppuratione.

2. Alia dicitur fieri à *cacochymia bilioſa* ſeu *bile ſincera*, non vera ſed apparente, ut explicat. *Zac. Luſit. 1. Medic. Princ. hiſtor. 10. quaſt. 11.* quoniam minimum alterius humoris admittit ex *Gal. lib. de diff. morb. 12. & 2. progn. comm. 28.* alia *à notha.* humore bilioſo vel *ſanguini* putrido *vel pituita* vel *melancholia* permiſto. 3. Cum etiã bilis excrementiæ à veteribus quædam ſtatuantur differentiæ, hinc etiã *alia* oriri dicitur *à bile pallida, alia à flava, alia ab aduſta vel atra*, quanquam *Foreſtus 10. obſ. 1. in Schol.* diſtingvat inter bilem aſſatam & atram, & ab aſſata quidem bile, quæ via ſit ad atram,

phreni-

phrenitidem pessimam fieri, ab atra verò maniam sine febre innuat.

Ab *accidentibus* etiam & adjunctis morbis quædam *maligna*, quædam *benigna*: quædam cum *febre ardente*, cum *epilepsia* quædam: vid. *Herules Saxon. in Praxi.*

CAPUT VIII.

Signa diagnostica ostendit.

DIagnostica phrenitidis veræ seu propriè dictæ signa respiciunt vel Genus seu formam, vel causas, vel locum affectum.

GENUS quæ respicere dicuntur non tam ipsum delirium, quod nos loco generis posuimus & per se ex actionibus principibus læsis cognoscitur; quàm fervorem spirituum animalium seu inflammationem cerebri manifestant: & hæc vel παθογνωμονικὰ sunt vel συνεδρεύουσα (ἐμφαινόμενα sub prognosticis comprehenduntur.)

παθογνωμονικὰ duo communiter proponuntur, *delirium continuum, & febris ardens*, quibus aliqui ex *5. de loc. aff. 4.* addunt *vigilias perpetuas*. Hæc tria signa conjunctim sumta phrenitidis seu inflammationis cerebri pathognomonica fiunt, separata autem ad demonstrandum non sufficiunt: delirium enim, licet perpetuum sit, nisi tamen cum reliquis conjungatur, nullam cerebri inflammationem arguit.

Febris sæpe aliquot dies inflammationem antecedit, non raro sequitur, inepta itaque ad demonstrandum. Eodem modô etiam *vigilia* sæpissimè affligunt, antequam vel cerebrum vel membranæ ejus inflammatione corripiantur. Conjunctim autem sumta & affectum ipsum notificant, & ab aliis distingvunt.

De causis horum accidentium si quæras, sequentia pro responso habeto: Continuitatis delirii ratio ab autoribus redditur: quia causa residet in ipso cerebro. Sed dicis, etiam in paraphrenitide quæ paroxysmos ardentium febrium comitatur, causa residet in cerebro, nam etiam illa dependet ab excessiva incalescentia spirituum: Resp. fervor tamen iste spirituum non fovetur à morbo cerebri quemadmodum in vera phrenitide, hic enim calor igneus cerebro quasi habitualis fact°, cerebrum què plane inflammatum est, secus ac in phrenitide spuria seu per consensum oborta.

VIGILIÆ NIMIÆ delirium comitantur, quia deest placidus ille humor, qui spiritus demulceat & sensum communem liget, ob cerebri exiccantem calorem, ex mente quidem *Aristotelis*: Vel potius urgent vigiliæ, quia spiritus animales in furorem quasi acti sensui communi nullam quiescendi concedunt veniam.

Febris ardens proximè dependet ab ebullitione sangvinis & spirituum vitalium: antecedenter tamen ac remotè dependet ab iisdem humoribus vitiosis, à quibus fervor spirituum animalium ac inflammatio cerebri; nim. à sangvine bilioso, ut qui ob naturalem suam constitutionem à cordis fermento plus quam decet accensus, cum impetu ad partes prorumpit & excessivum calorem suum omnibus communicat.

Est autem febris hæc *quandoq; primaria, utplurimũ symptomatica. Primaria* est, quando modo jam dicto ab humorib° vitiosis in massa sangvinea antea stagnantibus, & in corde accensis dependet: *Symptomatica* est, quando ab abscessu ac inflammatione prius in capite oborta, sangvineæ massæ per circulationem è capite ad cor refluo μιάσμασα putrida communicantur, quæ ipsam ad suscipiendam in corde febrilem

brilem accensionem disponunt, *leg. Thom. VVillis diatrib. de febrib. cap. 11.*

Συνεδρεύοντα signa plurima sunt; referri autem optime possunt vel ad *facultatē animalem* vel *vitalem* vel *naturalem.*

In Animali facultate reperiuntur *oculi squalidi* & quandoque *sangvinei*: interdum *sicci*, interdum lachrymas profundentes: aliàs immoti quiescentes, alias immoderatè moti & palpitantes, quæ signa utraq; sunt convulsionis oculorum; *floccos* & *festucas* aliquando colligunt ægri, ob fuligines & vaporosos halit° oculorū humores obsidentes: *lumen* alii *aversantur*, alii *tenebras* fugiunt, quod fieri dicitur propter visa & imagines quibus vel in luce vel in tenebris non sine magno rationis nocumento terrentur: corripit ægros *stridor dentium*, tremores & *convulsiones extremorum* quæ signa admodum mala sunt, *vox fit stridula, lingva revellitur, silentium & loquela intempestiva se invicem* excipiunt; respondent ad interrogata cum iracundia & furore, cum impetu non raro adstantes invadunt, & inprimis Medicis infestos esse delirantes docet *Forestus*, referens furibundum quendam Medicum suum obvium per pontem in fluvium præcipitasse magno cum vitæ periculo. In *olfactu* etiam quosdam delirare ex Præceptore suo refert *Idem in Schol. ad obs. 3.* dum graveolentes odores culpant qui tamen non adsunt.

In vitali facultate signa phrenitidis præbent *pulsus* & *respiratio.*

Pulsus præsertim in capite & temporibus *durus* est ob arteriarum *tensionem & siccitatem*, *frequens* & *celer* ob calorem igneum & maximam sangvinis effervescentiam, *parvus* etiam esse quandoque deprehenditur, ob virium debilitatem. *Magnus* quoque & *rarus* ob incendium magnum, cui virtus impar.

Respi-

Respiratio magna & rara est; μέγα ἡ διὰ πολλοῦ χρόνου πνεῦμα τοῖς ἐπ' ἐγκεφάλῳ φρενιτικοῖς inquit Trallianus *magna & tarda respiratio deliris ex cerebro.* Causa rejicitur in memoriæ ablationem, quod scilicet respirare obliviscantur: *Zacutus Lusitanus* in praxi refert in imaginationis læsionē, ut à cujus imperio respirationem dependere putat: hinc ait: *Cur verò in delirantibus etiam detenta & occupata imaginatio non imperet opus usque adeo ad vitam necessarium, & per somnum etiam servatum, quo tempore obruta est, & aliis functionibus prorsus vacat, causa est nimia phantasmatum quibus detinetur occupatio, propter quam aut penitus obliviscuntur respirare, aut sufficienter: Unde cum valde urgentur ob nimis auctum usum respirant multum. Nobiliss. Dn.* PRÆSES *in collegio nostro jonstoniano* inter causas etiam refert spirituum vitalium à febre oppressionem, cum febris sit valde magna.

In NATURALIBUS actionibus in primis notantur urina & alvi excrementa: urinæ ex tinctis albæ & pellucidæ cum fiunt, phrenitidem arguunt; idem significant dejectiones albæ per alvum. Causa horum phænomenōn dicitur esse raptus bilis ad caput unde excrementa quæ cā tingi debebant intincta manent: Quæ quidem sententia non placere vult *Helmontio*, ut qui putat, tincturam urinæ flavam non à bile sed à sero dependere cum aliis *Paracelsisectatoribus.* Verum utut in totum hoc ipsum non negemus, non tamen inde priorem sententiam rejiciendam esse putamus, persvasum nobis habentes, non differre bilem flavam, quæ in vesicula fellis colligitur, toto genere à sale illo quod tingit urinam, sed saltem majori assatione & coctione, & cum terrestriori materia incorporatione; in prima autem materia convenire; quid enim bilis nisi Sal aliquod cum materia terrestri & sulphurea perassatum: sed pergendum.

Hanc

Ad hanc classem pertinet *sitis imminutio & urinæ retentio*, quod utrumq; fieri ideò dicitur, quia mens laborat. Non parum tamen huc conferre videtur superioris ventriculi orificii, & æsophagi ut & vesicæ tam ob febris ardorem, quam nervosum genus affectum, prava constitutio, quantus enim ventriculi cum cerebro consensus sit nemo ignorat, & probant hoc abundè vulnera capitis.

Signa hæc hactenus proposita communiter etiam dispescuntur in signa *phrenitidis imminentis & præsentis*:

Imminere phrenitidem omnia hactenus prolixè relata si minora adhuc sint, indicant. Inprimis ante portam esse hostem clamant sequētia. Si ægri muscas captent & floccos colligant, ut sibi ipsi accidisse refert, *Gal. 4. de loc. aff. 2.* Si jam delirare incipiant verbis & gestibus, vel etiam intempestivo silentio: si vigiliæ plus solito urgeant, vel somnus sit interruptus & molestis somniis turbatus, unde subitò expergiscuntur ægri, torvum vident & interrogati vel aliena vel cum iracundia respondent, & jam dictorum obliti de aliis sermonem continuant.

Quod si fortiora fieri prædicta signa cernantur, arcem jam intrasse hostem non dubitandum. Inprimis pathognomonica signa vehementer se ostendent. Si præterea accedant convulsiones, tremores & similia vehementia symptomata, in pejus ruitura omnia judicandum.

Astrologica signa etiam hic aliquam dabunt certitudinem. Desumuntur autem vel *ex themate natalitio*, vel *ex figura cœli ad tempus invasionis* morbi erecta.

Ex themate natalitio sequentia haberi possunt.

☿ & ☽ si mutuis odiis pugnent in locis dejectis aut signis pugnantibus, insaniâ & mentis depravatione natum laboraturum indicant.

Item. Si ♂ de nocte superior fuerit dictis planetis, &

mala

mala testimonia ex fortibus locis afferat, & omnium maximè ex ascendente insaniâ & phrenesi mens violenter cruciabitur.

His ex generali judicio cognitis, ut speciale tempus determinari possit, in consilium adhibendæ directiones præprimis, deinde revolutiones, profectiones, atque transitus tum horoscopi, tum aliorum locorum convenientium, quibus addantur ætatum Domini, alfredariæ (ex quibus eleganter annorum climactericorum ratio deduci potest) aliique particularium temporum significatores.

Ex figura cœli ad tempus invasionis morbi (vel etiam ut putat *Ganivetus in amico Medicorum* ad tempus nuntii erecta, signa hæc attendenda sunt: Si ☽ erit in ♈ infortunata, aspexeritque eam ex □ vel ☍ ♄, morbus is erit in capite, & producet eum ad alienationem mentis & faciet insanire. vid. *Astrologia Hippocratis cap. 3.*

SUBIECTUM indicabunt sequentia. Si in *ipso cerebro* inceperit inflammatio, nullus in parte aliqua alia vel in toto præcessit affectus calidus; si verò in *parte aliqua*, inprimis diaphragmate, pulmonibus pleura &c. inflammatio antea fuerit, vel febre ardente æger laboraverit, phrenitisque post sequatur, per consensum eam obortam esse probabile erit, aderuntque signa partium affectarum. Ulterius, an in ipso cerebro an in membranis ejus inflammatio sit, vehementia delirii indicabit, vehementius enim delirant ægroti, si ipsum cerebrum inflammatione (intellige humidâ) corripiatur, quam si membranis inflammatis, solùm calida intemperies vel phlogosis quædam substantiæ cerebri communicetur, nisi jam plane hectica sit.

Signa CAUSARUM hæc traduntur ab Autoribus.

Si *ex sangvine puro* sit inflammatio, vel cum humore *seroso aut pituitoso* misto, deliria erunt mitiora & cum risu:

si vero

si vero à *flava bile*, delirium est gravius, & cum iracundia & truculentia: quæ si aduratur, (ita tamen ne prorsus in atram mutetur, tunc enim fit mania) gravissimum fiet delirium.

Tandem quomodo ab aliis affectibus, cum quibus aliquam cognationem habet, discerni debeat, dicendum. Fieri autem facillimè poterit, si signa pathognomonica recte attendantur & conjungantur.

A paraphrenitide quæ paroxysmos febrium ardentium comitatur, discernitur perpetuitate delirii.

A pseudophrenitide, seu delirio per consensum à diaphragmate distingvitur, ut docet *Gal. 5. loc. aff. 4.* ex oculorum accidentibus, sangvinis è naribus stillis; ut & spirationis specie, quippe ut addit *Senn. 1. prax. part. 2. cap. 6.* phreniticorum respiratio magna est, & ex longis semper intervallis: contra ubi à septo transverso delirium oritur, inæqualis est, ut modo exigua sit atque frequens, modo magna & cum angustia conjuncta. In hypochondriis etiam statim initio morbi signa se produnt, quæ in vera phrenitide non cernuntur.

A delirio simplici, paraphrosine *dicto*, differt febre ardente, illud enim sæpe comitatur vulnera, nimiam evacuationem, ebrietatem &c. Sed sine tanto ardore febrili.

A Mania etiam differt febre. *Maniaci* enim *dicuntur, qui sine febre delirant*, inquit *Gal. 1. prorrhet. com. 1. text. 1.*

A lethargo aliisque *soporosis affectibus* vigiliis perpetuis & febre ardente continua, facillimè à quovis distingvitur.

CAPUT IX.

Signa prognostica offert.

PRognostica signa respiciunt tria, nempe *1. exitum morbi*, an ad salutem vel mortem. *2. tempus exitus*, an maturè

vel tardè. 3. *modum exitus*, an per κρίσιν vel λύσιν morbus sit terminaturus.

Priusquam autem de singulis in specie dicamus, in genere sciendum: Phrenitidem acutissimum periculosissimumque ex *Tralliani* sententia esse affectum; quod etiam *Gal.* confirmat *1. prognost.* docens universum phrenitidis genus exitiale esse. Magnus enim morbus est. 1. quia afficitur pars hominis, quatenus homo est, præstantissima & nobilissima, cerebrum nimirum, animæ rationalis sedes ac thronus regius. 2. quia læditur etiam illa facultas, quâ homo homo est, & à reliquis brutanimantibus distingvitur. 3. quia cõstitutio cerebri dignissima nempe similaris maxime corrumpitur. 4. quia recessus à naturali statu valde magnus est: cerebrum enim quod sua natura frigidum & humidum dicitur, igne uritur intensissimo. Periculo igitur non caret affectus hic.

In specie periculosior est. *1. Ratione essentiæ*, quo majus est delirium, hoc est, quo plures in eo actiones læduntur, intellige si non solum imaginatio, sed etiam, & quidem valdè, ratiocinatio, & memoria, afficiuntur: minꝰ periculosa est, in qua vel sola imaginatio vel ratiocinatio parùm depravata est. Pertinet huc locus *Hipp. 2. coac s. 2 t. 98. desipientiæ quæ circa necessaria fiunt, pessimæ, & quæ ex his ingravescunt, exitium portendunt.*

Deindè periculosum magis est quod cum furore & impetu conjunctum est delirium, quàm quod cum risu fit, *Hipp. 6. aph. 53.* vel aliàs placidum ac mite est.

Non nimis tamen ripæ credendum; sæpè enim latet angvis in herba. Hectica siquidem phrenitis, quam *Gal.* alibi obscuram nominat, omnino mitis est, deliriumquè uniforme, blandum ac mansvetum, ita ut ferè delirare ægri non videantur, non loquantur, nec sese agitent, sed jaceant

ceant tanquam dormientes: fucata verò hæc est mansvetudo, longe gravius post se trahens periculum, & brevi ipsam mortem.

Malum etiam est dictante *Hipp. l. c. t. 92.* si circa initia omnia se moderatè & sedatè habeant, & crebro permutentur, hoc est, ut explicat *Benedictus Faventinus* teste *Foresto.* si migrationes fiant ex pravis accidentibus in magis prava. Econtrario si antea ægri furore perciti mox quiescant, adeo, ut niquis probe advertat, verè dormire eos existimet, jam mors proxima est, (videtur enim tumultuosa phrenitis in hecticam mutata) quod *jacchinum in* pistore quodam observasse refert *Forestus in Schol. ad obs. 3.* Confirmat quoq; *Hipp. 3. epid. s. 1.* dicens circa mortem solent phrenitici ægrotantes resipiscere & apoplectici vocem recipere & ad mentem redire, ut videantur liberati.

II. Ratione subjecti, prout vel ipsum cerebrum, vel membranas solum inflammatio corripit, ita malum vel majus vel minus est pronunciandum.

III. Ratione Causarum. Periculosior est hectica dicta quam tumultuaria, teste *Gal. 1. prorrhet comm. 1. text. 33.* quia hic solum est perfusio quædam vel etiam effervescentia humorum vitiosorum in cerebro, ibi verò ipsum cerebrum occupat apostema, & quandoq; planè sphacelus. Quo spectat *aph. Hipp. 50. sect. 7: quibus cerebrum sideratum est* (σφακελιωθῇ sphacelo correptum) *intra tres dies intereunt, quod si hos effugerint, sani evadunt.* Observavit quoque *Pavius* quendam ex abscessu in cerebello latente phreniticum factum interiisse.

Ex bile pallida quæ causatur phrenitis, mitissima dicitur. Ex flava verò, ut quæ calidior & acrior est, affectus evadit deterior: ex adusta, lethalem pronunciat *Forestus*: ex sangvine quæ est, eam facilè naturæ ope curari *idem* do-

cet, nisi in atram bilem, ob corruptionem substantiæ, convertatur, tunc enim incurabilem eam putat. Similiter phrenitidem ex bile cum melancholia mista lethalem pronunciat. Ex bilioso sangvine cum pituita permisto affectus fit mitior.

Major & consequenter periculosior pronunciandus est affectus ex mente *Hipp. in coac.* qui accidit fractis jam & debilitatis viribus: naturæ enim morborum curatrices, fractisque viribus frustrà laborat Medicus in depellendo morbo, ut pote naturæ auxilio destitutus.

Exitiosus etiam pronunciatur, si invadat seniores, quia minus periclitantur ii, quorum naturæ & ætati morbus familiaris fuerit: proinde etiam facilius curatur in juvenibus & robustis.

III. Ratione Symptomatum & quidem *1. in actionibus animalibus*, malum exitum portendunt tremores *l. 2. coac. s. 2. text. 93. & 96.* vox stridula: lingvæ revulsio *text. 95.* convulsiones *text. 101. & 2 prædict. 28.* stridor dentium. Rigor, si non criticus, cum dejectione alba & morbo crudo existente apparuerit.

IV. In naturalibus actionibus albicans dejectio in phreniticis malum denunciat. *2. coac. s. 2. t. 91* rationem *vid. supra* ubi de signis diagnosticis actum est: urinæ pellucidæ albæ malæ *4. aph. 72.* Excreationes etiam & sputationes frequentiores pro lethalibus signis habentur. Quibus adsunt superiorum partium tenues sudores cum perfrictionibus, nec sine febre ii corporis in continentiâ & phrenitide vexati præceps periculum denunciant. *text. 69. s. 2. l. 2. 10.*

Astrologi in figura cœli ad tempus invasionis vel etiam nuncii, inprimis respiciunt ad ascendentem & ☽ quæ si benè constituta, bonum, sin min°, malum ipsis omen est. vid. *Ganiv. amic. Medic. diff. 3. cap. 5.*

De

De tempore exitus si quæratur, terminus ejus est terminus acutorum: nisi enim ad mortem ægrum deducat plerumque die 14. vel ad maximum 20. terminatur. Si tamen statim in principio invasionis præsens adhibeatur remedium, in primo quasi limine trucidari morbum posse, observationes plurimorum testantur. Lethalem ante quartum diem interimere posse docet *Hipp.* inprimis si sit malignitas conjuncta.

Modus terminationis ipsi etiam cum morbis acūtis aliis communis est. Ad *salutem* quæ tendit, ut plurimum terminatur per crisin idque duobus modis, vel κατ' ἔκκρισιν, seu excretionem ad salutem perfectam, vel κατὰ μετάστασιν seu translationem, ad imperfectam. *Excretio* plerumq; fit vel per sudores, vel per hæmorrhagias, *3. de crisib*; nonunquam etiam per urinas, quæ si sufficiēter fiant, die critico & signis præcedentibus, bene se res habet, si minus, mortem vix effugiet æger.

Per translationem materiæ si terminatur, frequentius mutatur *1. in lethargum*, teste *Gal. lib de comate & 3. epid. 3.* hæcque transmutatio valdè mala statuitur, quia frigiditas lethargi vitæ magis adversatur, quam calor phrenitidis. 2. *in convulsionem*, imprimis faciei. 3. *in maniam, lycanthropiam & melancholiam* quandoque converti testatur *Forestus.* 4. *in phtisin* periculosam transmutatam, in uxore sua, confirmat *Herc. Saxon.*

CAPUT X.

De Jndicationibus consultat.

HActenus prior tractationis nostræ pars, methodus scilicet cognoscendi phrenitidem fuit absoluta; restat altera, *methodus* nimir. *curandi* eandem.

Dirigitur hæc secundum *indicationes* tanquam Polycleti statuam.

INDICA-

INDICATIONUM summa genera tria sunt, *curatoria, præservatoria,* & *vitalis*, quarum priores duæ respiciunt res præter naturam, tertia res secundum naturam.

CURATORIA occupata est principaliter in ablatione intēperiei, inflammationis, febris: min⁹ principaliter symptomatum ipsius scil. delirii, vigiliarū, sitis &c. Undè inflammatio cerebri, removenda, calor, excessivus extinguendus, & ad naturalem statum reducendus, adhibitis refrigerantibus externis vel internis, tàm per se quàm per accidens.

PRÆSERVATORIA *causas* respicit antecedentes.

CAUSÆ sunt internæ & externæ; *interna* solidæ vel fluidæ.

Solida, ut vermes, in aliqua parte latentes expellendi.

Liquida ut humores pro diversis vitiis diversa requirunt auxilia.

Quantitate peccantes evacuandi per V S. si plethora; per alviductionem si cacochymia peccet.

Qualitate nocentes *manifestâ* alterandi, *occultâ* ac *malignâ* per alexipharmaca corrigendi & expellendi.

Motus eorum vitiosus corrigendus, habito respectu 1. ad naturam ejus propriam, quâ ratione ebullitioni ac fermentationi præcipitantia ac fervorem sedantia opponenda. 2. ad terminum à quo, qui si totum corpus, ut in febribus, hujus ratio habenda, si pars privata, diaphragma vel alia in eam animadvertendum. 3. ad terminum ad quem, & ita vel revellendum ad contraria, vel derivandum ad vicina, vel repellendum, à parte affecta.

Inter SYMPTOMATA URGENTIA inprimis *vigiliæ* magnam curationis partem ad se trahunt, cum experientia testetur vigiliis relegatis ipsum cessasse delirium. Nec negligenda secundum *Jonston. Ideæ Med. quæst. lib. 8. cap. 4. artic.*

3. urinæ

3. urinæ suppressio, quia sic serosi humores retinentur, qui postea delirium ferocius reddere valent. Vesica etiam nimis repletâ partes inferioris ventris comprimuntur.

VITALIS indicatio virium tum totius tum partis affectæ rationem habendam esse postulat, per similia.

Omnibus hisce indicationibus satisfacientia remedia ex usitatis fontibus, Chirurgico, pharmaceutico & diætætico petenda sunt.

CAPUT XI.

De Remediis chirurgicis sollicitum est.

INter chirurgica præsidia nobilissimum est *Venæ sectio*, de qua tamen an admittenda sit, Autores disquirunt:

Negativam defendunt *Mesue tract. de ægritud. cereb. tit. de phrenesi* & cum eo *Gentilis Arculanus, Eustachius* & alii: Affirmant contra *Gal. 13. m.m.c. 21.* Aetius *tetrab. 2. serm. 2. cap 2. Avenzoar. lib. 1. theizir. tract. 3. cap. 6. Avicenna 3. 1. tract. 3. cap. 3.* Latinorum Princeps *Celsus lib. 3. de rebus Med. 18.* Aliique tum *Græci* tum *Arabes*, quos sequuntur *Mercurialis. 1. prax. c. 15.* Lud. Mercatus *1. de morb. intern. c. 9. lib. 10. obs.* Forestus *in principio* Holler. *lib. 1. de morb. intern. c. 16. Sennertus 1. prax. part. 2. cap. 7.* quin & alii plures.

A quorum partibus & nos stantes V. S. tanquam *ἰσχυρὸν καὶ μέγα βοήθημα, potens & magnum auxilium*, in phrenitide morbo satis acuto & ardenti sedulo commendamus, permoti tum Autoritate *Hipp. & Gal.* qui, ne dicam in omni phrenitide, sed in omni inflammatione sangvinem mittunt; tum hoc ratiocinio.

Q. multis indicationibus satisfacit, illud in phrenitide omittendum non est. Atqui V. S. non solum evacuat sangvinis copiam, sed & sangvinem refrigerat, à cerebro

avertit & ad ſomni provocationem facit E. omittenda non eſt.

Nec quicquam valent ad prohibendum aliqualis virium imbecillitas, cùm aliàs ad deliquium animi ſangvinem mittere jubeat *Gal.* Nec ætas, aut ſexus; nam & puerperis ſufficienter purgatis venam aperit *Foreſtus.*

Quædam tamen circumſtantiæ in miſſione ſangvinis attendendæ, & quidem I. Quoad QUANTITATEM differentiam aliquam pariunt vires, & quæ eas ſignificant tempora anni, ſexus, ætates &c.

Viribus conſtantibus, tempore verno, in ſexu virili, ætate juvenili, quoniam ibi cum εὐφορία licet, etiam ad animi deliquium mittendum ſangvinem ſvadent *Hipp. 1. aph. 23. & Gal. in comm.* Sed præſtat in noſtris regionibus aliquantum infra ſubſiſtere.

Parcius autem evacuandum tempore hyemali, viribus ab exhauſto laborantibus, ſexu fœminino, ætate deſcendente, tutiusque in talis modi caſibus eſt ſectionem repetere quam cum ſangvine ipſam animam extrahere.

Præterea cautè procedendum eſt in corporibus cacochymicis, & multabile ſcatentibus; obſervatum enim ſæpe in tali caſu V. S. fuiſſe funeſtam: ratio eſt, quia largâ V. S. cerebrum jam ante ſiccum magis exiccatur, unde affectus augetur.

II. Circa TEMPUS, ſciendum; maturè omninò & ſine cunctatione imperandam eſſe V. S. ne forte contingat nobis, quod accidit illi Medico citato à *Guainerio tract. 3. de agritud. cap 6.* qui in robuſto ægrotante cerebri inflammatione occupato, venæ ſectionem diſtulit, donec combuſtio ☽ transacta fuiſſet; propter quod phreneſi confirmatâ ſymptomata aucta ſunt, ægerquè vitam cum morte commutavit.

Quin

Quin etiam non injecto clyſtere & ventriculo pleno mittendum ſangvinem dicit *Finckius in Enchyrid. Dogmat. Hermet. cap. 3. & Hartman. in prax. Chimiatr.* Febris tamen intenſiones vitandas eſſe monet. *Celſus l. c.*

III. Quoad Locum; licet in reſpectu ad evacuationem nihil referat, quamcunqne venam ſecueris: ad revulſionem tamen ſi reſpiciatur, præſtat iniriò in pedibus aperire venam, tum ob maximum capitis cum pedibus conſenſum, tum, ut docuit *Excell. Dn.* PRÆSES *in collegio noſtro Conſultatorio. Epiſtolico*: quia tutius ſangvis majori etiam, ſi eſt opus, in copiâ revellitur, nec metus tam facilis eſt ſubſecuturæ lipothymiæ, quæ in brachii apertis venis ne opinantibus nobis, & vel ſub initium accidere plerumque ſolet. Hac peractâ, ſi indicatio inſtiterit, & quæ in brachio ſunt conſpectiores, vel mediana vel baſilica incidi poterunt.

Cœterùm pennâ ad radicem inſtar ſtellæ effigiatâ, intra nares immiſſa, ac fortiter circumductâ, copioſum aliquando educi ſangvinem docet. *Jonſton. in Ideâ pract.* quod experientiâ ſuâ confirmavit *Zacut. Luſit. lib. 1. obſ. 12.* qui modus etiam vel ideo probandus, quod ſæpe ob ægrorum impatientiam venam ſecare non liceat, obſtructiones etiam non rarò in his & vicinis locis latent ob ſangvinem ibidem ſtagnantem.

Addenda tamen nota *Excell. Domini* PRÆSIDIS *in colleg. Jonſton.* non in qualibet phrenitide hoc tentandum eſſe, ſed in illa quæ eſt à ſangvine, atque ubi per hæmorrhagiam morbum ſolutum iri, ſigna non obſcura adſunt, veluti cum oculi rubent, venæ elatæ ſunt, caput valde calet, aliaquè quæ copiam ſangvinis in capite præſagiunt.

Præter V. S. alia quoque præſidia ſuppeditat Chirurgia, SCARIFICATIONES inprimis, CUCURBITULAS SCARIFICATAS, quæ ætate & virium imbecillitate, V. S. prohiben-

hibentibus, si modo ob intollerantiam & furorem ægrorum licet, cervici applicari possunt.

HIRUDINES Hispanorum & Italorum præsidium benedictum, quibus admodum familiares sunt hæmorrhoidum fluxus; neque Gallis ignotæ, omitti nequeunt. Tales rustico, qui se damnatum esse, & morti tradendum fabulabatur, fronti applicuit *Riverius in observat.* qui tamen non tam phreniticus quam melancholicus fuisse videtur.

FRICTIONIBUS missâ V. S. utitur *Asclepiades* ad somnum provocandum. Sed addit *Celsus* cum & intentio febris somnum impediat, & frictio non nisi in remissione utilis sit, hoc quoque auxilium debuisse præteriri.

VESICATORIA & CAUTERIA à Practicis non prorsus improbantur, si serum unà laborem fecerit. In phrenitide per consensum, & maligna, *cantharidum* usus apprimè commendari poterit.

CAPUT XII.

Remedia pharmaceutica suppeditat.

SEctâ vena non nulli statim & unicè ad fervorem spirituum sedandum, ebullitionem humorum extinguendam, somnumque provocandum exhibent laudanum opiatum, uti *Finckius l. c. Horstius lib. 2. obs. 12.* Verùm, nobile hocce medicamentum non dandum facile, nisi viribus constantibus, & absente malignitate, cum in calidis morbis cum malignitate conjunctis non paucos ejus usu è vita sublatos viderit *Experientissimus Dn.* PRÆSES, proinde neque alia præsidia negligenda sunt.

Causa igitur morbifica purgantibus evacuanda, intemperies calida & sicca refrigerantibus & humectantibus internis

nis & externis alteranda, partesquè debilitatæ roborandæ sunt.

Principiò laborandum est, ut *primæ viæ* à fæcali excremento liberentur, id quod, modo æger non sit inobediens, commodè *clysteribus injectis*, vel *medicamento lenienti* quopiam exhibito, perficitur.

Clysteres componantur ex emollientibus non solum, sed & refrigerantibus, atq; acrimoniam aliquam habentib⁹, quo revellendi à capite facultatem eò fortiorem accipiant.

℞. *Herb. violar.* *parietar.*
mercurial. *branc. urs.*
betæ. *lactuc. an. Mj.*
fl. chamæm. Mjß. *rad. alth. ℥j.*
sem. colocynth. ℥ß. *Sen. Alexandr. ℥j.*
Coq. in s. q. *aq. f.*
Col. ℞ ℔j. add.
Cass. extr. pro clyster. ℥j. *bened. laxat. ℥ß.*
ol. nymph. *violar. an. ℥jß.*
⊖ *gemm. ℥ß.* M. F. clisma.
D. cum vesica & siphone.
Sig. eröffnend Clystier auff jmahl.

Lenientia medicamenta per *os* assumenda variis formis parari possunt: e.g. in *forma potionis*

℞. *pulp. cass. rec. extr. ℥ß.* *extr. rhab. rec. parat. ℥ß.*
disolv. lent. ign. in
aq. endiv. *acetos. an. ℥jß.*
betonic. ℥ß. Colatur. factæ. add.
sir. de cichor. c. rhab. ℥ß. *succ. citr. depur. ℥ij M.*
D ad vitrum. Sig: Laxierträncklein auff jmahl.

Hisce

Hisce præmissis ad humorum vitiosorum evacuationem à quibusdam commendantur PURGANTIA, in quorum exhibitione tamen cautelâ opus est, juxta admonitionem *Coi. 1. aph. 24. In morbis acutis raro & per initia medicamentis purgantibus utendum, idque diligenti ante adhibitâ circumspectione faciendum.*

Proinde si purgare animus est, fiat id statim in principio, antequàm inflammatio in capite confirmetur. Turgens etenim est materia, adisis *Senn. 5. inst. part. 2. s. 1. c. 6.* Et licet ad partem affectam jam feratur, mobilis tamen adhuc, ac quasi errabunda est, & natura sese eâ exonerare, eamq; è venis expellere cupit. Nec solùm evacuationis, sed quàm maximè revulsionis gratia instituenda est purgatio.

Medicamenta convenientia docente *Foresto* sunt vel frigida, vel temperata, vel, si talia sola haberi non possunt, calida frigidis permixta: ut *Cassia, manna, tamarindi, rosæ & ex his perata.* Ex quibus & similibus variis formis parari possunt composita. e. g. in forma potionis:

℞. *Sir. de cichor. c. rhab.* ℥j. *Scammon. rosat.* ℈ß.
aq. viol. nymph. an. ℥jß.
spir. Oli parum.
M. F. potio Sig. Purgiertränklein uff zwahl.
vel ℞. *herb. lactuc. portulac.*
acetos. an. M̃. fol. Sen. S. S. ʒvj.
Sem. citr. rec. conquass. ʒj.
hordei pj. passul. Corinthiac. ℥ß.
Coq. in s. q. *ser. lact. capr.* ad dimid.
Col. ℞. ℥ijß. add. *sir. diaser. Andern.* ℥j.
Pul. Diasen. Montagn. ℈j. M. F. potio.
Sig. Tranck zu Abführung der Gallen.
In *forma pilularum.*

℞. *extr.*

℞. *extr. pil. de rhab.* *hier. c. agar. an.* ℈ß.
resin. gialap. gr. v. *aq. fl. cich. q. s.*
M. F. pilul. XIII.
Consperg. *pulv. Santal. rub.*
D. in pixid. lign. Sig. Purgier Pillen auff j mahl.

Medicamentis alviducis meritò alia quoq; succedunt evacuantia tum universalia, *sudorifera* nempe & *diuretica*, tum *particularia*.

Ad SUDOREM movendum inserviet sequens.

℞. *aq. Cordial. Herc. Saxon.* ℥ß. *Galr. C. C.* ʒjß.
Sir. acetos. citr. ʒvj. *ℭi. diaphor.* ℈j.
C. C. philos. ℈ß. M. F. potio.
Sig. Schweißtränclein uff j mahl.

vel ℞. *Sem. carduiben.* *citr. a.* ʒj.
aq. Scorzon. *viol. an.* ℥j.
Fl. l. a. emuls. add. *bezoart. miner. gr. viij*
M. D. ad vitr. Sig. bezoartische schwitzmilch.

Ad diuresin facient sequentia.

℞. ℈ *ononid.* *fraxin.*
stipit. fabar. an. ℈ß. M. D. ad chart.
Sig. Harntreibendes Saltz. uff 2 mahl.

vel ℞. *Sir. byzantin.* *de s. rad. an.* ℥ß.
Essent. an. alkkeng. *charefol. an.* ℈ß.
M. D. ad vitr. Sig. Harntreibende.
mixtur uff j mahl.

Particulariter caput evacuant *apophlegmatismi*, *sternutatoria* & *errhina*; Videntur tamen hæc tantum usum non præstare in phrenitide, nisi serosus sangvis in capite abundet. Materiæ ex practicorum voluminibus petendæ. Nos iis missis ad *alterantia* progressum facimus.

Cor-

Corpore itaque evacuato, ad ſangvinis & ſpirituum animalium effervescentiam ſedandam reliquum curationis dirigendum: tum ſymptomatibus urgentibus obviam eundum; vigiliis per anodyna & narcotica, ſiti per convenientia ſitim ſedantia.

Ebullitionem ſangvinis & ſpirituum egregiè ſiſtit Laudanum opiatum ad 3. 4. vel plura grana exhibitum.

Paracelſum Principi cuidam Germano 5. grana dediſſe narratur, qui ſex integras horas ſubdormiens, ad ſanitatem rediit.

Hartmannus in praxi Chim. intervallo 8. horarum doſin unam exhibet, continuando usq; dum ℈ß abſumtus ſit. Quin imò in defectu laudani opiati ipſius opii exiccati & pulveriſati gr. vj. exhibet in ℥iij. aq. nymph. vel lactis vel decocti alicujus refrigerantis.

Præterea pro intemperie febrili corrigenda exhibeatur ſequens.

℞. *aq lactuc.* *portulac.*
nymph. *violar. an.* ℥iij.
ſir. de nymph. *papav. an.* ℥jß.
corrall. ℞. *Tinctur. roſ. an.* ℥j.
galred. C.C. ℥ß. M. F. Julebus.
D. ad vitrum. Sig. kühl und ſtärck juleb auff etlichmahl.

Pro ſomno conciliando exhibeatur ſequens emulſio.

℞. *ſem. 4. frig. maj. an.* ℥j. *papap. alb.* ʒij.
aq. anagall. coerul. *portulac.*
nymph. *borrag.* *bugloſſ. an.* ℥ij.
F. l. a. Emuls. add.
C.C. philoſ. calcin. ʒj. *margarit. ppt.* ʒß.
ſacchar. cand. ʒx. M. D. ad vitr.
Sig. Ruhe bringende Milch wohl umzurütteln uff etlichmahl.

Hi

His & similibus alia ἐυπόρισα addi poterunt, ut *serum lactis caprinum*, præsertim pro siti sedanda, & alia infra in fonte diætetico recensenda.

Sal perlarum cujus dosis est *à gr. 10. ad ℈j.* egregiè conferre in phrenitide docet *Croll in Basil. chim. p. m. 166.* Exhibetur in aq. borrag. vel buglos. Præstantiorem tamen sale *quintam essentiam perlarum* esse judicat *Finckius l. c.*

Pro *virium roboratione* exhibeatur sequens electuarium.

℞.	*Cons. rosar.* ⊕lat.	*violar. an.* ℥j.
	nymph.	*papav. rhœad. an.* ℥ß.
	spec. diamargarit. frig. ℈ij.	*Tinctur.* ♁. ℈j.
	Sir. de Corall. ♃.	*nymph.*
	papav. rhœad. an. q.s.	M. F. electuar.
	D. in pixide	Sig. kräfftige Stärcklatwerg einer Castanien groß offt zugebrauchen.

Extern è quædam *capiti* applicari possunt, quædam *pulsui* manuum, quædam *pedibus*, quædam etiam aliis partibus. Et ferè plus insistendum aliquando *externis* quam *internis*; ægri siquidem plerumque ab internis abhorrent, externa verò faciliùs admittunt.

CAPITI quæ *applicari solent*, faciunt tum ad *repulsionem humoris influentis*, tum *sanguinis attemperationem*, tum *somni provocationem*.

Proficua erit *mixtura* sequens.

℞.	*ol. violar.*	*nymph. an.* ℥j.
	aq. rosar.	*nymph.*
	semperviv. an. ℥ij.	*aceti* ℥ß.
	camphor. ʒß.	M. D. ad vitrum.

Sig. Umbschlag zum Haupt.

Oxyrrhodina maximè ab antiquis in hoc negocio commendata sunt, & à *Gal.* etiam 2. κατὰ τόπους. *cap.* 1. omnibus

aliis

aliis hujus generis topicis præferuntur, scribit enim ibidem, se ubi ejus copiam haberet, nullo alio medicamento usum fuisse, sed hoc omnes hosce morbos curasse.

Conficiebantur autem oxyrrhodina expartibus tribus olei rosati, & una parte aceti; oleumq; convenientissimum censebatur rosatum recens, sine sale, & ex oleo omphacino comparatum.

Hujus in locum Medici nostrates nenupharinum, violaceum, papaverinum, aut aliud refrigerans substituerunt. Quin & ad augendam adstrictionem aliquid olei cydoniorum aut myrtillorum intermiscent, docente hoc *Holler. perioch. 2. ad lib. 2. Gal. de comp. med. κατὰ τόπους* Conf. *Senner. 5. instit. part. 2. sect. 3. cap 39. & 1. prax. part. 1. cap. 1.*

Zacut. Lusit. tanquam optimum præsidium pro conciliando somno in phrenitide confirmata, sequens expertus est:

℞. *rad. mandragor.*
hyoscyam.
sem. lactuc.
portulac.
coriandr. vtrid. an. ℥ij.
opii ℈j.
philon. persic. ʒij.
bull. omnia in ℔ *iij vin. alb.*
ad consumpt. duar. part.
Cola, serva.

Hujus vini sequens est usus. Quando æger quiescit, vel dormire cupit, sæpè naribus odorem suscipiat, & digitis in eo madidis nares intrò illinantur, tota facies abluatur, plantæ pedum & volæ manuum laventur. Quod si parum aceti vino permisceatur, erit præstantius.

Carne cucurbitæ, tusâ & capiti raso applicata, desperatum

tum phreniticum se restituisse testatur *Bartoletus meth. de diffic. respirat. lib. 5.* Sed probè observandum id quod monet *Hartmann. in praxi*, usum stupefacientium non debere esse continuum, ne fiat transitus de phrenitide in lethargum. Cautè quoque applicari debere in his qui imbecillium jam sunt virium, inprimis externa, ne materia in capite coagulet, quæ propter imbecillitatem virium postea dissipari & resolvi non possit.

Pulmonem agni aut arietis recens evulsum & adhuc tepidum capiti raso imponere, ac ubi refrixit, denuò in aqua calefactum applicare jubet, tanquam singulare experimentum *Franc. Joel lib. 1. pract. s. 2. cap. 1.*

Somnum quoq; diu exoptatum, feliciter inductum audivimus, floribus sambuci aceto madefactis; nec non ramulis illius arboris quæ vulgò arbor vitæ dicitur, & Cupressi species est, in febre illa Hungarica quæ superioribus annis Germaniam nostram valdè afflixit.

Sed & aliis partibus applicari possunt epithemata, inprimis verò *pulsui* manuum, & pedibus.

Manuum *pulsui* applicetur sequens.

℞.	*spec. diatr. santal.* ℈ij.	*lign. aloes* ℈j.
	croc. gr. viij.	*camphor. gr. vj.*
	aq. ros.	*nymph.*
	viol. an. ℥ij.	*acet. vin.* ℥ß.

M. F. epithema.

Quod linteis duplicatis madefactis carpis manuum applicari poterit.

Vel fiant emulsiones ex seminibus frigidis, additis amygdalis dulcibus & speciebus quibusdam cordialibus.

Plantis pedum quædam etiam applicantur non sine fructu, insignis enim pedum cum capite consensus est, proinde qui caput curare vult, pedes ne prætereat. Commēdan-

tur in hunc usum animalia calentia, inprimis columbæ, ut quæ majorem calorem habere creduntur. Ex fimo columbino cum aceto vini epithema fit, quod linteis duplicatis, vel chartæ bibulæ inclusum pedibus applicatur.

Francisc. Joël sequens lavacrum commendat, in quo tepido, vespertino tempore, lavare jubet crura & brachia ægroti, & fomentare per dimidiam horam.

℞. *fol. vitis. salic.*
lactuc. Fl. nymph. an. Miij.
fl. ros. rub. viol. an. Mij.
Capit. papav. cum semin Mjß.
Concid. & decoq. in aq. q. s. F. lavacrum.

CAPUT XIII.

Cum fonte diætetico concludit.

COmplectitur diæta omnes sex res non naturales dictas.

AEREM quod concernit, constitutionem ejus depingit *Aretæus 1. de curat. acut. cap. 1.* dicens: *Ægrotum cubare convenit in conclavi mediocris amplitudinis, aëris temperati hyeme tepidi, æstate frigidioris vere autē & autummo secundum tēporum naturas conjectura uti decet. Parietes lævesſint, æquales nec superemientes, neq; festucas aut aliud quid exertum habentes neq; picturis exornentur, picturæ enim mentem turbant.*

Utrum in tenebris, an verò in luce habendi sint ægri, jamolim disputatum. Antiqui ut refert *Celsus*, tales ægros in tenebris habebant; eò quod ipsis contrarium esset exterreri, & ad quietem animi tenebras conferre aliquid judicabant. At Asclepiades, tanquam ipsis tenebris terrentibus, in lumine habendos eos dixit. Verum litem componit ipse *Celsus*, dicens: neutrum perpetuum esse, alium enim lucem, alium tenebras magis turbare, reperiri quoque in quibus nullum discrimen deprehendatur, quæ ipsa etiam sententia est *Aretæi*, & plurimorum recentiorum.

VI-

Victus ratio qualis esse debeat, facile patet ex *lib. 1. aph. Hipp.* ubi prolixè docet Divinus senex, quisnam victus debeatur morbis acutis, è quorum numero etiam phrenitis est. Verbo ut dicam: requiritur victus *in substantia* tenuis, habito respectu ad conditionem ægri & morbi ipsius vehementiam; in *qualitate* refrigerans & humectans, in *quantitate continua*, paucus, in *discreta* crebrior, docente *Aretæo*: cavendo exacerbationes. Convenit itaque *ptisana hordeacea*, vel etiam *hordeum integrum*; imò cum Germani nostri pleniore victu uti soleant, *carnes vituliuæ, gallinaceæ, caponum* & similes, *lactucâ* vel *limonibus* conditæ, panis similagineus: non nocebit interdum *pomum* unum aut alterum *horstorfianum* elixum cum passulis minoribus: quæ ubi haberi non possunt, eorum vices supplebunt poma *Carthusiana* dicta vulgò Cartheuser Aepfel/ quæ ubi perfectè maturuerunt, jucundi sunt saporis, odoris & coloris; aliave dulcia ac svaveolentia.

Potus non minor quam cibi habenda ratio, à cibo enim plerumq; abhorrent ægri, sed potū maximè desiderant. Conducit autem refrigerans & humectans quicunque; aqua vel *de coctum hordei*, *cerevisia* non nimis lupulata aut lolio corrupta, hæc enim caput tentant. *Servestana* ubi habetur, valde commendatur, ut & *Naumburgensis*, quæ ob aquarum naturam plurimum nitrosi salis participare dicitur.

Plurimum juvant *acidulæ* variis in locis scaturientes; præ aliis tamen *Svvalbacences* & *Egranæ*: *Spadanas* suas extollit *Henr. ab Her. in Spadacrene.*

Acidulæ artificiales viribus & sapore naturalibus analogæ parari possunt ex *spir.* ☉*is.* ☿ *li.* ☉ *tri.* ex nitro præparato seu *lapide prunellæ* ex *nitro* etiam ♁*iato* & similibus.

De *vino* an concedendum sit phreniticis disquirunt multi? A plurimis conceditur vinum tenue, idque, ut *Zaut. Lusit. prax. histor.* docet, *in declinatione phrenitidis si*

syncope aliâ de causa invalescat, vel æger sit imbellis, quod etiam confirmavit. *Hipp. 3. acut. 41.*

SOMNUS omnibus viribus provocandus & VIGILIÆ arcendæ; constat enim experientiâ, cum vigiliis ipsum affectum desiisse. Auxilia supra videantur.

MOTUS nimius præcavendus; hinc monente *Aretæo quiescere jubendum est & ægrotos ipsos, & adstantes, acutè enim audiunt phrenitici & strepitibus irritantur: cubilis quoq; longitudo & latitudo moderata esse debet, quo neq; in ampliori volutari jactariq; possit, nec à nimis augusto delabi.*

EXCREMENTA quævis omni studio, debito tempore & quantitate ut fluant, curandum; quod si non respondeant, alvus clysteribus irritanda, transpiratio insensilis, exhibitis diaphoreticis supra descriptis, procuranda: vel in potum injiciatur aliquid de C.C. calcin. vel ☉ ♁iato. *Urinæ* etiam fluxus vel per superius tradita, vel epithematibus emollientibus extra applicatis restituendus. Commendatur etiam apium, anethum, aut simile quid si potui injiciatur.

Tandem animi παθήματα etiam moderanda, quod optimè docet *Celsus* hisce: *Adversus omnium autem sic insanientiũ animos gerere se pro cujusq; natura necessarium est. Quorundam enim vani metus levandi sunt: sicut in homine prædivite famem timẽte incidit; cui subinde falsæ hæreditates nunciabantur. Quorundam audacia coercenda est: sicut in his fit, in quibus continendis plagæ quoq; adhibentur. Quorundam etiam intempestivus risus objurgatione & minis prohibendus est. Quorundam discutiendæ tristes cogitationes: ad quod symphoniæ, & cymbala, strepitusque proficiunt. Sæpiq; tamen assentiendum, quam repugnandũ est: paulatimq;, & nõ evidenter, ab his, quæ stultè dicuntur, ad meliora mens abducenda.*

Hæc sunt quæ pro temporis ratione & ingenii dotibus de gravi hoc affectu dicere potuimus. Deo T. O. M. pro gratia sua præstita grates agimus debitas.

FINIS.

Clarissimo

RUTTÖRFFERO,

pro

LICENTIA

Summos in arte Medica capessendi honores, cathedram ascendenti

FELICITER

acclamat

GUERNERUS ROLFINCIUS,

Phil. Med. D. P. P. Senior, Decanus.

RUTTÖRFFERE, artis medicæ clarissime mysta!
Pœonii spes ampla chori! præfulgida virtus
ingenii geniique tui, doctrinaque multa
promeruit dudum; quod non indebita tantis
præmia, & augustos studiis deposcis honores.
Non te desidiæ Siren, non ulla iuventæ
illecebra à Phoebo revocavit, semper in hortis
Pieridum pernox, & perdius accubuisti.
Gratulor hunc animum, tantos tibi grator honores,
ic medicina tuum nomen super astra reponit.

Dul-

DUlcis nonne quies ſequitur, cum parta labore,
poſt pugnam, curas, præmia Apollo probat?
Auguror & Laurum, quæ mox ventura, ſecundam
apprecor, ut Patriæ commoda multa ferat.

Dn. Doctorando Clariſſimo

animitùs gratulatur

PRÆSES.